



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus


Treveris, 1638

25. Henrici Tertij Imp. Dat. in Botuel, Anno MLVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

Item cartam hanc inde conscribi & Sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini Heinrici Tertij Regis inuictissimi Romanorum Imperatoris Augusti. Winitherius Cancellarius vice Liutboldi Archicancellarij & Archicapellani recognoui. Data prid. Ka. Iulij anno Dominicæ Incarnationis M L VI. Indictione IX. Anno autem Domni Heinrici Tertij Regis, Secundi Imperatoris ordinationis XXVIII. Regni vero XVIII Imperij X. Actum Treuiris in Domino feliciter. Amen.



25.

*Henrici III. Imperatoris Datum in Botuelt, Anno
MLVI.*


IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente Clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Si locis diuino cultui mancipatis alicuius honoris & augmentationis sublimentum præbuerimus, diuinatus nobis remunerari procul dubio credimus. Quapropter omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium præsentium ac futurorum solers comperiat sagacitas, quomodo nos ob remedium animæ nostræ & parentum nostrorum, nec non per interuentum carissimæ coniectalis nostræ, scilicet Agnetis Imperatricis Augustæ, nostrique filij dilectissimi Henrici Quarti Regis, Theodorico Reuerendo Abbatii de Sancto Maximino, suisque Successoribus largiti sumus, concessimus ac perdonauimus, ius, potestatem, securamque licentiam mercatum & monetam construendi, faciendi ac per omnes semper hebdomadas in feria quintâ tenendi, tali legitime stabilitatis ordine, ut idem Abbas tam ipse, quam & sui Successores in sua liberali potestate teneat, regat & perpetualiter habeat idem mercatum cum monetâ, teloneo, ac totius publicæ rei functione & dispositione in quadam villa Billiche dicta ad Sanctum Maximum pertinente, in pago quoque Moselgawi & in Comitatu Bertoldi Comitis sita; Proinde volumus & Imperialiter edicimus, ut omnes homines præsentes, futurique prædictum mercatum visitantes cum omni pace illuc eant, redeant, compareant, & quidquid illis placuerit, sicut in alijs publicis mercatis vendant, nostrâ, omniumque nostrorum succendentium contradictione remota. Quicunque autem huius nostræ authoritati concessionis & potestatię perdonationis contradictor & violator in aliqua re extiterit, sciat se componere nostrum banum, ira sicut ille, qui mercato Moguntiæ, Coloniæ & Treuiris confracto & contaminato damnatus fuerit. Et ut hæc nostra Imperialis donatio stabilis permaneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria corroborantes sigillare præcepimus.

Signum Domini Heinrici Tertij Regis inuictissimi Secundi Romanorum Imperatoris Augusti. Winitherius Cancellarius Vice Luithboldi Archi-

Ff

can-

cancellarij & Archiepiscopi recognoui. Data XVII Kl. Octobr. Anno Dominicæ Incarnationis Mille-simo quinquagesimo sexto, Indictione nona, anno autem Domini Henrici Tertiij Regis, Secundi Imperatoris ordinationis vicelimo octauo, Regni vero decimo octauo, Imperij decimo. Actum Botuelt in Dei nomine feliciter. Amen.



26.

*Henrici IV. Imperatoris Datum Treuiris, Anno
MLXV.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente clementiâ Rex. Quoniam Regalis antecessorum nostrorum prouidentia & sollicitudo in construendis, constructisque stabiendiis Dei Ecclesijs piè iugiter inuigilauit: Idcirco benignissimâ Christi miseratione, in cuius manu Regum corda vel Iura consistunt, regni illorum diuturnitas pacificata viguit & effloruit. Vnde nos piè salubriterque de nostri regni statu tractantes, deuotamque illorum sollicitudinem imitari cupientes, priuilegia antecessorum nostrorum Regum siue Imperatorum Cœnobio Sancti Maximini, qui in suburbio Treuorum requiescit, concessa vel attributa, ob interuentum dilectissimi nobis Adelberti Hammaburiensis Archiepiscopi, nec non & Annonis Colonensis Archiepiscopi, & Eberardi Treuorum Archiepiscopi, Ellenhardi quoque Fribingenensis Episcopi, & Theodorici Virdunensis Episcopi, aliorumque fidelium nostrorum, scilicet Gerardi Ducis, & Godefridi Ducis, & Ottonis Marchionis, nostrâ etiam authoritate roborare decreuimus, vt & antecessorum nostrorum beneuola pietas non (a nobis neglecta) debilitetur, & Monachorum inibi Deo seruientium tranquillitas ab aliqua subintroducenda persona non inquietetur. Ea siquidem ratione, vt idem Cœnobium, vbi prænotatus Sanctus Pontifex requiescit, cui Venerandus Abbas Theodoricus nunc præfesse videtur, sicut sub Antecessorum nostrorum, sic sub nostro quoque iure, Mundiburdio ac defensione consistat, nec alicui sedi aut Ecclesiæ, excepto nostræ Regali potestati, successorumque nostrorum, famulum, aut appendix, vel beneficiarium subiaceat. Concedimus etiam eis liberum arbitrium inter se eligendi Abbatem tali honore dignum, & ad id officium idoneum, vt eō securius ab eis diuinum impleatur ministerium, summeque propensiū Maiestatis pro nobis implorent auxilium. Insuper etiam concedimus, vt idem Abbas, sibique commissa congregatio, eorumque successores potestatem habeant Aduocatias Monasterij sui, cui velint dandi, cuique velint, tollendi; & vt nulla cuiuslibet iudicariæ dignitatis persona in euribus eorum placitum habere præsumat. Teloneum à nauibus eorum nullus exigat, familiaque eorum bannum & fredas nulli nisi

Abba-